

primisque Vratislaviae atque Olsnae in Iudaeorum gentem maximo huius damno redundabant. Quod ad Urbem Vratislaviae attinet, seculi tum praecedentis anno LIII sequentibusque, quanta ibi mala, nec forte praeter meritum, gens haec sit perpeffa, uel ex eo liquet, quod, ingentem Iudaeorum numerum combustum, alios forcipibus candentibus uel licatos, reliquos ex Vrbe eiusque finibus expulsos, bona denique eorum publicata, Scriptores rerum Silesiarum tradunt z). Quemadmodum LEHMANNVS in *Annalibus Spirensium* de factis feralibus aa) refert, quae Iudaeos in Urbibus Imperii ad Rhenum sitis, seculo XIV manserunt, ubi praeter alia & Cipporum Iudaicorum mentionem iniicit, ex quibus, in usus publicos adhibitis, uel turres exstructas, uel moenia restaurata ac fastigata, testatur: ita & ea in Silesiae metropoli seculo subsequente in detrimentum Iudaeorum contigisse, aliqua ex parte IV abhinc ferme lustris par me edocuit cipporum talium, quos Senatus Magnifici indultu, deprecatore *seculi nostri Cicerone*, Viro Generosissimo, Consiliario Caesareo, Syndico Reipublicae Primario, & ad Conuentus publicos Deputato longe Excellentissimo, DANIELE A RIEMBERG, Toparcha Pilz.

terrarum regiones redundasse, affirmat. Neque sollicitus sum de persecutionibus Iudaeorum, intra Germaniae limites excitatis, in quibus recensendis supra laudatus SCHVDTVS P. I. L. V. cap. 12, p. 449 copiosissimus mihi uidetur. Quin potius Silesiae Vrbes recensere satago, Glogauiam maiorem, ubi A. O. R. ∞ c l i & ∞ c l xxx c i Lignitium, ubi ∞ c l l i, Suidnitium & Strigauium, ubi ∞ c l l i i i ex merito, ut refertur, horrendis persecutionibus succubuerunt. Vide FRID. LVCAM in *Chron. Siles. T. II, P. VII cap. IV p. 2195* sqq.

z) Scriptoribus rerum Silesiacarum, qui de iisdem persecutionum tempestatibus egerunt, annumerari quoque meretur ROCHVS in *Chron. Siles. p. 139*, ad quem prouocat IACOB. DOEPLERVS in *Theatro Poenarum Capitalium P. II cap. XCVI p. 584*.

aa) Libr. VII cap. XCII p. 788